



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Diff. 2. Solvuntur Object. ex S. Paulo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

cula, Et, id enim non variat sensum: & ita eadem erit propositio, siue dicas, Solus ego cum meo amico N. utar hoc bono, siue dicas solus ego utar hoc bono & meus amicus: hinc & in presenti simile quid verificabitur. Nec Græca locutio obstat ut ostendit Maldonatus.

INSTAT 2. Saltem sequi ex hoc loco, quod Spiritus Sanctus non sit Deus.

RESPONDETUR. Exinde directe & clare non colligi illum esse Deum; deduci tamen legitime, quia cum aliunde constet originari illum per modum unius ab utraque persona, si utraque originativa persona est Deus, deducetur etiam illum esse Deum; quia illa origine debet illi communicari, natura Divina. Si autem quispam priores duas responsiones teneret, hac instantia non premeretur. Quia verò non additur illo loco, quòd in hoc solo stet vita æterna, quod est noscere Patrem & missum ab illo, datur adhuc locus, ut requirantur & alia credenda, itemque opera bona.

INSTAT 3. Quia nec Christus nec Apostoli inculcarunt, quòd unà cum Patre, sit ille solus verus Deus, sed solum appellabant illum Christum, aut Dei filium, & si hic fuisset sensus Christi, qualem posuit tertia responsio, dixisset phrasin suam scriptura ut cognoscant, quòd vel quia tu es solus verus Deus, sicut aliàs dicit, quia tu es Christus Filius Dei: item cognoverunt Principes, quia hic est Christus.

RESPONDETUR. Retinendo tertiam explicationem dici potest sufficienter hoc loco id inculcari, quòd Patrem & illum, noscere verum solum Deum, sit vita æterna. Negamus etiam Christum & Apostolos non inculcasse Divinitatem Filii Dei. Quando autem præscribit phrasin Crelius, quæ Evangelista describere debuisset, hic & nunc Divinitatem Filii Dei, arbitrari id facit; & sicut liberum est Scripturæ nunc activâ, nunc passivâ uti constructione, item liberum fuit nunc Nominativo *Tu es*, nunc obliquo (*Te*) uti casu.

OBJICIT 2. Ex illo Matt. 24. v. 36. ubi Christus dicit se non nosse diem iudicii.

RESPONDETUR. Dixisse hoc Christum secundum naturam humanam: quod ipsum subdistinguitur, scilicet dixisse illa secundum quod est Legatus secreti iure ligatus, cuius distinctionis scholastica explicatio adfertur in Materia de Fide, an scilicet Deus amphibologicè loqui possit?

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones ex S. Paulo.

OBJICIT 1. Ex I. ad Cor. 8. v. 5. 6. *Nam etsi sunt qui vocantur Dii, &c. nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum, & unus*

Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum. Ubi Paulus explicans quis sit ille unus Deus, simpliciter dicit esse Patrem, non Patrem & Filium & Spiritum Sanctum.

RESPONDETUR 1. Explicando locum S. Pauli, quòd scilicet dicat non per exclusionem Filii à verâ Divinitate, sed excludendo non nisi multitudinem Deorum: hoc enim erat intentum Apostoli, ut textus ostendit: & quòd non excluderet Filium indicat ipse ille titulus *Dominus*; & sicut per titulum *Dominus* applicatum Christo non excluditur Pater, quo minus sit Dominus, ita nec excluditur Filius, quamvis ly Deus, sit applicatum Patri: sic docuit Irenæus l. 3. c. 6. Chrysost. Hom. 5. de incomprehensibili, &c.

INSTAT 1. Contra Responsionem Crelii, præter similia, quæ supra attulit, quibus jam responsum est; quòd scilicet Apostolus explicare hic voluerit, quis sit ille unus Deus; rectenè verò is rem explicat, qui non modò tantumdem, sed etiam plus omittit, quòd ad rem explicandam attinet, quam exprimit? & si nos Catholici explicantes quis sit ille unus Deus, nominamus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, etiam Paulus Christum nominare debuisset; præcipue ne per hoc convincatur Apostolus, occasionem præbere statuendi, quòd Deus sit unus essentia & persona.

RESPONDETUR. Primarium intentum fuisse Apostoli, ut videre est in contextu, distinguere Ethnicos à Christianis, per unum Deum in essentia; sed non fuit intentum, essentia terminationes seu personalitates explicare: hinc non debuit numerare personas. Nunc autem in præsentī Ecclesiæ statu, cum non agamus contra Ethnicos, sed non nisi contra paucos Adversarios, nominando unitatem essentia, etiam personas explicamus.

Deinde æquivalenter dicit Apostolus Christum Deum, appellando illum Dominum, quòd nomen nihilo inferius est, quàm nomen Dei ex usu Scripturarum, ut probat illud psalmi: *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram*, advertitque Græcè & Hebraicè doctus Petavius lib. 3. c. 1. Nomen Tetragrammaton reddi *kyrie*, quòd Dominum significat, consequenter nec dedit ansam opinioni Adversariorum; & si quæ sit loci perplexitas, ea superatur Doctorum explicationi inhaerendo. Sequuntur hic illi expositorii de quibus supra.

INSTAT 2. Per hoc solum, quòd additur Christo & unus Dominus manifestè distinguitur ab illo uno Deo: quia ille unus Dominus vel idem est cum illo uno Deo, vel aliqua ratione est Deo inferior: idem non est, aliàs nulla distinctionis foret ratio, nec ulla esset causa cur unus ille Deus Pater, unus verò ille Dominus Christus diceretur? Ergo restat ut significet Deum, qui Deo uno, est aliqua ratione inferior.

RESPON-

RESPONDETUR. Negando ejus Assumptionem, ejus probatio non vincit: nam reverà idem est cum uno illo Deo; cur autem hic Deus ille Dominus appelletur? de hoc infra. Denique dici potest, sufficere æquivalentiam titulorum ad significandam Deitatem, licet sit diversitas in modo significandi.

INSTAT 3. Quia descriptiones personarum, quæ sunt à sacra Scriptura non sunt otiosæ, sed ad rem explicandam comparatæ: hoc autem locos siquidem ad rem faciunt illæ descriptiones, quod Pater sit is ex quo omnia, & nos in illum; Christus est is, per quem omnia, & nos per illum ostendunt distinctionem, ita ut ly ex quo omnia significet illum, qui est prima causa efficiens omnium, & ly nos in illum, significet, quod sit causa finalis, cui omnis honor conferendus sit; ly autem per eum, dictum de Christo significat, quia ipse est media causa omnium, quæ ad nostram salutem spectant, & quod per eum gubernentur omnia: unde consequitur nos per illum, vicissim, Deum colere debere, scopum ac finem, hoc est eum medium esse honoris, quia nobis Deo exhiberi debet. Est autem unicus Dominus, quia si plures essent, alia per hunc, alia per alium administrarentur.

RESPONDETUR. Non esse has descriptiones otiosas: quia utraque Deitatem persuadet, & in Patre ut supponitur, & in Christo, qui appellatur Dominus: immo quia appellatur per quem omnia, & nos per illum, ostenditur ejusdem Deitatem de Deo ad Rom. 11. dicitur *ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*. Rursus hinc, fiat in hac particula *ex*, quod illa denotet Deitatem, non verò particula *per*, hujus ipsius reddenda est ratio; nam in phrasi Aristotelica, *ly per* accedit ad causam efficientem, *ly ex* ad causam subjectivam: cur ergo potiori jure, aut saltem æquali, particula *per* non ostendat, Christum esse causam omnium, adeoque Deum esse? Denique stando in terminis disputationis præmissis dici posset, *ly ex quo* applicari Patri, quia Pater & Spiritus Sanctus non sunt ex non existentibus, sed ex substantia Patris, ex quo tantum origine non originata, procedunt reliqua. Christo autem appropriatur creatio mundi, inquam sapientia personalis, ideoque dicitur per illum esse omnia. Videtur hic Apostolus per Antitheta loqui, & ut multitudini Deorum opposuit unum Deum, ita multitudini Dominorum opponit unum Dominum; inde autem non sequitur Christum non esse Deum.

RESPONDETUR 2. Eidem Auctoritati, quod Apostolus scripserit Corinthiis recenter ad fidem conversis, quibus ne daret aniam per litteras sine præsentis scriptore mittendas, cogitandæ pluralitatis Deorum, non posuit simul cum Patre Filium; imò ipse Paulus ab ignoto Deo, ortus est dicta sua; & Philippus ex occasionelectionis, non omnia simul perfringendo;

æquivalenter tamen ut dixi, Deitatem expressit, Christum appellando illum Dominum sine addito.

RESPONDETUR 3. Ex eodem loco arguendo pro Divinitate Christi. Qui est per quem omnia, & qui est sine addito Dominus, opponibilis dominio Deorum, qui non sunt veri Domini, ille est Deus, nam ly per quem omnia, ad Rom. ut dixi, pro Deo supponit, ly item Dominus, ut indicat ille locus Psal. citatus: sed Christus est per quem sunt omnia, & est Dominus, opponiturque illius dominium dominio Deorum, qui non sunt Dii, ut colligitur ex contextu; Ergo ille est verus Deus.

Ex eadem Epistola c. 12. v. 4. 5. 6. solet urgeri, ubi ajens Apostolus de divisione gratiarum, subdit, *idem autem Spiritus, idem autem Dominus, idem autem Deus*.

RESPONDETUR. Quamvis multi ex nostris DD. interpretentur hunc locum de Trinitate personarum; commodè tamen accipi potest de unitate essentia: imò ex illo loco probari potest Divinitas Christi, quia in verbis antecedentibus non fit mentio Patris, sed conversio ab Idololatria ad Jesum.

OBJICIT 2. Ex Epistola ad Ephes. 4. v. 5. & 6. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus vobis*. Ubi Deus ille qui unus esse dicitur, & Pater, unum idemque subiectum significant, ac proinde alterum altero latius non patet, nec quisquam alius est Deus ille unus, nisi Pater Domini nostri Jesu Christi, præcipue quia particula *Et*, non ostendit aliam rem, sicut nec cum dicitur, Christum aliquando traditurum regnum Deo & Patri; imò præsentis loco particula *Et*, significat unum eundemque esse Deum & Patrem; nam significans unitatem Christianam loquitur, & non dicit unus Deus, unus Pater omnium; sed unus Deus & unus Pater: præcipue cum hic expressè distinxerit unum Deum à Domino uno, & Spiritu uno, interjectis etiam aliis orationis membris, ut tantò luculentius appareret eos à se invicem discerni: & cum per unum Dominum Christus intelligatur, quis ergo per unum Deum, tam ab uno Spiritu, quam ab uno Domino distinctus intelligatur, quam Pater Christi?

RESPONDETUR 1. Explicando dictum locum, quod scilicet *Ly unus Deus*, & *Ly Pater omnium* pro eodem realiter supponant, sed non pro eodem etiam virtualiter, & quod *Ly unus Deus* excludat sua unitate non pluralitatem personarum, sed pluralitatem essentiarum; ita ut essentia in ratione unius essentia, non latius pateat quam paternitas; tam enim essentia est non nisi una, quam Pater non nisi unus; licet essentia virtualiter à paternitate distincta, in ratione terminabilis latius pateat, quam paternitas: eo quod insuper binà sit personalitate terminabilis.

Supponat interim obiciens per suppositionem, quam ille putat impossibilem, quod Filius sit consubstantialis Patri, nonne sicut de Patre dicitur unus Deus, & Pater, sic poterit dici de Filio unus Deus & Filius? Illa varietas loquendi sine conjunctione in antecedenti membro non facit contra nos, quia ex hoc potius inferri deberet, quod non pro eodem adæquatè supponatly *Deus* & ly *Pater omnium*.

Arbitrarium etiam est dicere, quod ly *Domini* supponat illic non nisi pro Christo, aliàs excluderetur à ratione Domini Patris.

RESPONDETUR 2. Explicando eundem locum ex mente S. Athan. ut docet Petavius, nempe quod appelletur unus Deus, & Pater omnium, propter originis, ac principii prærogativam, quia est caput omnis processionis.

RESPONDETUR 3. Explicando hunc locum eo modo, quo sibi opposuit ipse Crellius, quod hic nomine Dei Patris veniat tota SS. Trinitas; non autem prima Trinitatis persona, sed contra hanc responsionem.

INSTAT 1. Quia non potest ullo exemplo probari quod ly *Pater* supponat pro tribus Trinitatis personis.

RESPONDETUR. Dicitur Christus Regnum traditurus Deo & Patri, dicitur item in Christo Deus mundum sibi reconcilians: & universaliter ubi externum aliquod opus attribuitur Patri, ly *Pater* supponit pro tota Trinitate; omnia enim opera ad extra sunt communia; utiturque Scriptura & PP. nomine illo tanquam notiori, & tanquam personæ, quæ est fontalis origo reliquarum. Est & aliud fundamentum nomine Patris venire totam interdum Trinitatem, quia nomine Patris, significabat Deum Christus, conformiter ad fidem Judæorum, cum quibus tractabat, qui non colebant Patrem sub formalitate habentis filium; licet interdum hanc etiam illis doctrinam inculcaverit.

INSTAT 2. Ly *Pater* sumptum pro tota Trinitate vel est persona, vel non est; Si persona est, cur illum Patrem esse Christi non sinimus? Item si persona est, vel est persona una, vel plures? Si una, quævis etiam alia, erit Pater Christi: Si plures, non Pater, sed Patres dicendi erunt. Si verò persona non est, Pater non est; Pater enim omnis etiam metaphoricè dictus, persona est, modò intellectu sit præditus.

RESPONDETUR. Ly *Pater* quando accipitur pro tota Trinitate, supponit pro subsistente, sed pro subsistente subsistentià indeterminatā, & quasi abstractè ab omnibus sumpta: unde ulterius dicitur Ly *Pater* sumptum pro tota Trinitate, persona est, non tamē Pater Christi, quia Pater Christi, non supponit pro persona indeterminata & vel exinde Trinitas, non est Pater Christi: quia aliàs etiam ipse sibi esset Pater, quod est non præter, sed contra lumen rationis. Quamvis autem ly *Pater* sumptum pro Trini-

tate plures personas significet in re & in objecto, non debebant dici Patres; quia nec ex objecto sunt plures Patres. Plurificatioque ipsa ostenderet, sumi jam determinatè personas, cum tamen Pater dictam de tota Trinitate, supponat pro persona indeterminatè accepta.

INSTAT 3. Quia si nomine Patris hic venit tota Trinitas quæ esset causa, cur ter potius eandem rem repetere maluerit Apostolus, quam tria inter se distincta?

RESPONDETUR. Immeritò supponi, quod nomine Domini veniat illic Christus non nisi, & nomine Spiritus tertia Trinitatis persona; cum potius nomine Spiritus veniat anima, quam opponit uni corpori, cuius illic mentionem facit.

Quod autem quærit, cur hic condistinctim ponatur unus Dominus, & unus Deus? quæremus etiam nos, cur condistinctim ponatur unus Deus & unus Pater, cum hæc per Crellium pro eodem supponant? Directè autem

RESPONDETUR. Non esse novum in Scriptura eidem Deitati, & subiecto, plures titulos dare, unde parum etiam intererit, si adhæbentur particulæ copulativæ, siue non, possuntque individuis illis epithetis, diversæ formalitates Deitatis agnosci, ut formalitas Domini, formalitas infiniti in ratione essentiae sub termino Deitatis, formalitas excellentiæ sub termino super omnes; & sicut non potest reddi ratio, quare non sit prius positum Deus unus, sed prius Dominus? cur sit posterius positum Baptisma, & prius Fides? nisi id referendo in placitum Scriptoris inspirati, ita referri debet, quod priora membra sine copulativa posuerit, secus posteriora.

Continuatur Solutio.

OBJECIT 3. EXI. Timoth. 2. v. 5. *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus*, ex quo Fundamento sic arguit Crellius; si solus Pater unius Dei nomine ite intelligitur, solus Pater est summus ille Deus; nam si quispiam alius præter Patrem esset Deus summus, unius Dei nomine comprehendi debuisset Christus: Sed solus Pater unius Dei nomine illic intelligi debet: quod ipsum probat; Istantum eo nomine intelligitur, inter quem & homines Christum Jesum mediatorem esse dicit Apostolus, uti ex connexionione Verborum apparet. At is est solus Jesu Christi Pater.

RESPONDETUR. Concessa illa conditionali propter suam veritatem, quia nihil ponitur in rebus; non autem propter illius probationem, quia posset differri promulgatio aliarum personarum ad alia loca, quæ tamen personæ essent Deus. Directè Negatur Minor; Nego etiam solum Patrem esse inter quem & homines Christus sit mediator, nomineque Patris venit tota Trinitas, ut dictum supra.

INSTAT 1. Crellius, si Christus est totius Trinitatis Mediator, ergo etiam sui ipsius est media-

mediator, seu inter seipsum intervenit medius; quod seipsum evertit.

RESPONDETUR. Quia materialem interventionem & mediationem imaginatur Crellius, bene dicit, quod aliquid inter se intervenire, mediare, evertat sese. Sed id non apparet in interventione morali, quid enim in hoc absurdum? Quod possit natura aliqua creata dignificari per personam increatam, obire actiones, quæ satisfaciunt, & aliis personis & ipsi personæ significanti?

Nec obstat quod hæc duo distinguantur, ad quem mediatio fit, & mediator; distinguitur enim secundum naturam humanam, & principium elicivum actionum Christus, à sua personæ quæ reconciliatur: Et sicut in humanis filiis Regis potest aliquis aliquid debere, &olvere pecuniâ, cujus pretium habetur ab ipsa voluntate, & impositione Regis; sic & in præsentia. Et sicut principes non tantum particulatim sed, sed & commune pluribus possunt acquirere regnum, ita & Christus nobis.

INSTAT 2. Sequitur ex responsione, Christum etiam secundum naturam divinam esse mediatorem; quia persona divina à natura divina seipsa non differt; Subsistentia etiam per se vim agendi nullam habet, sed natura. Et quidquid persona divina Christi agit, natura divina ipsius agit.

RESPONDETUR. Quamvis se ipsa persona à natura divina non distinguatur, sufficit quod distinguatur virtualiter, ut alibi dictum. Hinc aliquid poterit tribui personæ, quod non tribuitur naturæ. Deinde quamvis in creatis non dicantur subsistentiæ activæ, secus est in Divinis. Unde per nos falsa est propositio; natura generat, vera autem pater generat. Denique non ponimus nos, personam divinam esse principium specialius ab aliis personis, elicivum operationum Christi, quia hæc elicientia spectat ad naturam creatam cum concursu divino, sed illas tribuimus personalitati divinæ, tanquam principio dignificanti & complenti substantiam, per modum termini, hoc est ipsam naturam humanam, quæ illas elicit.

INSTAT 3. Ea simpliciter à se distinguuntur, de quibus simpliciter asseri potest, eorum unum non esse alterum; hoc autem habet Deus & Christus, qui illius mediator esse dicitur, ergo simpliciter à se distinguuntur: Ergo nec Deus ille Christus, nec Christus Deus ille est.

RESPONDETUR. Veram esse Minorem cum restrictione posita à sancto Paulo, secundum scilicet naturam humanam distingui Deum à Christo.

INSTAT 4. Christus ex eorum hominum numero nequaquam est, quorum mediator fuit, nec sub illis in illo loco Pauli comprehenditur; Ergo Christus nec Deus ille est, aut Dei illius

nomine comprehenditur, cujus mediator dicitur.

RESPONDETUR. Ex eodem fundamento pro nobis arguendo: Non vetat Christum eandem specie naturam habere cum hominibus, quorum mediator est, nec vetabit quidpiam habere eandem naturam cum iis, ad quos mediat, habereque ab illis personam distinctam.

INSTAT 5. Nullibi haberi, quod Christus mediator fuerit inter se & Spiritum Sanctum.

RESPONDETUR. Quoad verba & voces id non haberi, re tamen & æquivalenter haberi; quia peccatum est offensa Dei, adeoque omnium personarum; hinc & placatio, debet esse omnium personarum. Duplici tamen ex capite mediatio notabilius attribuitur inter patrem & homines, quia ipse est origo fontalis personarum. Deinde, quia ipsi missio Filii æterna competit, cui sese proportionat missio in mundum, in ordine ad redimendum facta.

OBJICIT 4. Locum ex Epistola ad Rom. 16. v. 27. ubi nomine *solius Dei, solius sapientis, solius Domini*, &c. venit Pater: Ex quo loco sic arguit Crellius, si per solum Deum, solum sapientem, per solum Dominum solus Pater intelligitur, necesse solum Patrem esse Deum; si enim hæc est vera, solus Deus est Pater, etiam hæc vera erit, Pater est solus Deus; & si priorem assumas, non potest dici solus Deus est Pater, si latius pater nomen solius Dei, quam Pater; neque enim angustius, de latiori, simpliciter enuntiatur. Si posteriorem assumas, perinde id erit, ac si dicas solus Pater est Deus; nam idem est dicere Deus Spiritus solus æternus, ac dicere solus Deus est Spiritus æternus. Sed per solum Deum, solum Dominum, solum sapientem, intelligitur Pater, dicitur enim citato loco; *Soli sapienti Deo per Iesum Christum, cui honor & gloria in sæcula sæculorum.*

RESPONDETUR. Concedere nos Majorem illam conditionatam, quia nihil ponit in rebus, sed ea quæ in probatione affert, indigent examine, nam præpositio vel postpositio particulæ *Solus*, reddit etiam diversitatem sensuum, ad quod non videtur attendere discursus Crellii: Alia enim hæc est propositio, Petrus est animal, quod est solum rationale, & alia, solus Petrus, est animal rationale: ita etiam alia erit hæc propositio, solus Pater est Deus; & alia, Pater est solus Deus.

Rursus, quod dicit, si *Ly solus Deus* latius patet, quam Pater, non poterit prædicari Pater de solo Deo, id contra se adfert; nam sequitur, quoties assumit hanc propositionem; Deus est Pater, quod petat principium; nam in nostris principiis *Ly Deus* secundum esse suum virtuale proprium, latius patet, præ Patre, quæ principium non expugnat.

Denique hujus propositionis: Solus Deus est Pater, hunc sensum facimus, solitudo naturæ di-

rae divinae terminatur paternitate; vel: Aliqua ex his personis, cui competit esse solum Deum, est etiam Pater, quibus duobus sensibus positis, non est locus illis argumentis allatis. Dici etiam potest nomine Patris venire hic Trinitatem, quod supra defensum est. Quod autem condistincte fiat mentio Christi, id non obest: Est etiam illius mentio non distincti divinitate, sed mediatoris dignificantis actiones; quibus honor, etiam illi exhibetur. Diximus etiam supra, Patri soli tribui sapientiam, tanquam fontali Deitatis origini, sed non tanquam personae soli sapienti.

INSTAT Idem. Mediatoris officium, non nisi personae quae talis est, convenit; quare vel humana Christi natura persona est, & Jesu Christi nomine intelligenda, vel statuendum Christum, etiam secundum divinam naturam, hic considerari. Restat ergo ut nomine solius sapientis, persona Christo superior intelligatur, dignior enim est is, cui tanquam ultimo scopo gloria tribuitur, causa media, per quam ei cultus exhibetur.

RESPONDETUR. Mediatoris officium non nisi personae convenit, tanquam subiecto denominationis, & tanquam principio terminativo, sed non convenit personae, tanquam principio immediate elicitivo actionis. Hinc habet natura humana rationem mediantis in quantum est principium elicitivum actuum mediantium, licet non habeat rationem mediantis sine addito; quia haec supponit pro principio dignificante & complente substantialiter naturam, quae est elicitivum operationum. Consequenter intelligitur hic persona Christo superior, secundum quod est principium elicitivum actuum mediantium; licet non intelligatur superior Christo, secundum quod Christus dicit principium dignificativum.

Punctum Difficul-

tatis 3.

Solvuntur reliquae Objectiones ex Scriptura.

NON commemoro hic locum sumptum ex Joan. 5. v. 44. quia ille eandem omnino solutionem habet, cum immediate citato loco ad Romanos. Ad alia accedendum.

OBJICIT 1. Locum epist. Judae v. 4. ubi dicitur: *Subintroisse falsos doctores, qui solum Herum Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum negant.*

RESPONDETUR. In primis omnia haec verba & titulos posse ad eundem Christum revocari, & quamvis non revocentur, ipse titulus Domini, suadet Divinitatem, nec illam negat, sicut nec abnegat Patri. Unde ex hoc loco adhuc elicitur nostrum intentum; vel enim per ly

Herum idem intelligitur quod per ly Dominum, vel non idem? Si primum, sequitur Christum esse verum Deum, siquidem dominium illi tribuitur idem, quod Deo; si autem distinctum hic dominium intelligitur, ergo non potuisset poni indistinctum & eodem plane modo significando. Denique licet nomine Heri distingueretur Deus à Christo, distingueretur quae homo est, non tamen quae Deus. Dici etiam potest nomine Dei, intelligi totam Trinitatem, specialius tamen fit mentio Christi, quia specialius contra illum falsi illi doctores debachabantur.

OBJICIT 2. Visionem Daniel. c. 7. v. 9. ubi dicitur: *Antiquus dierum sedisse*, is autem qui sedet omnium confessione divina persona est, quae una est; sed non Filii, nec Spiritus Sancti, quia solus Pater ceterarum fons est; & quia dicitur, quasi Filium hominis ad eum accessisse, & ab eo potestatem & Regnum accepisse: Quo etiam reduci debet visio Apoc. 4. & 5. de Agno accipiente librum, accedente ad thronum sedentis, &c.

RESPONDETUR universaliter, quod Deus olim visus sit, notificando se in unitate essentiae, non sub trinitate personae, exceptis sanctioribus aliquibus. Nihilominus non fuisse cultam in abstracto Deitatem, sed Deum in concreto, creditionique illi aptatas visiones; ne sic rudi populo Judaico daretur ansa polytheismi. Namine etiam agni venit Christus secundum quod est homo.

INSTAT 1. Imago sedentis in throno revera est persona.

RESPONDETUR. Esse personam imaginem, & quidem unius, accepto nomine personae communiter ad omnes tres, non est autem necesse visionem, quoad omnia obiectum exprimere, alias illa persona deberet etiam esse electrum, capillata, &c.

INSTAT 2. Multa testimonia scripturarum cum his collata, ostendunt Patrem Jesu Christi in throno sedisse.

RESPONDETUR. Etiam hoc concessio sequi praecellentiam Patris praeter Christo, ratione naturae humanae.

INSTAT 3. Christo prout condistincto à sedente in throno, tribuuntur actiones competentes personae, ergo quae persona est, à sedente in throno distinguitur; Persona autem Christi est illa ipsa quae est Trinitatis secunda, quae est ipsa natura divina subsistentiam suam habens; Ergo haec etiam à sedente in throno condistincta esse debet.

RESPONDETUR. Ratione personae distinctui Christum à Patre, sed non ratione naturae, & quia persona est virtualiter distincta à natura, fit ut quamvis distinguatur ratione personae, non distinguatur ratione naturae.

Obj-